







SCHOLARVM NECESSITAS

AB

OBIECTIONIBVS OBSERVATORVM
HALENSIVM VINDICATA

ORATIONE SOLEMNI,

QVAM

MVNVS QVARTI IN ILLVSTRI, QVOD ILFELDAE EST,
PAEDAGOGIO REGIO PRAECEPTORIS, SVB-
CONRECTOREM VOCANT,

SUPERIORVM NVTV ATQVE AVSPICIIS

SVSCEPTVRVS

HABVIT

IOH. IOACHIMVS SCHMIDT

BODENWERDERA HANOVERANVS.

HELMSTADII,

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

SCHOLARVM
VITAE

ORATIONIBVS OBSERVATORVM
HUBERTVS VIKTORIA

WALDHEIM

WALDHEIM IN ILLO MUNDI
PAGINA LIBRI PRAEFATIO
CONJECTURA VIKTORIA
PRAEFATIO VIKTORIA

IOH. IOACHIMVS SCHMIDT

PROFESSOR HANNOVERIAE

IN FAVORITIS SCHOLARVM
ACAD. THEOB.

PERILLVSTRI
ATQVE GENEROSISSIMO VIRO
IVSTO CHRISTOPHORO
DE REICHE

AVGVSTISSIMI ATQVE INVICTISSIMI BRITANNIAE

REGIS A CONSILII IVSTITIAE INTIMIS

COENOBII ILFELDENSIS PRAESVLI

SYMME VENERANDO

PATRONO SVO AETERNVM
SVSPICIENDO

VT ET

V I R O

SVMME REVERENDO ATQVE AMPLISSIMO

**PHILIPPO LVDOVICO
BOEHMERO**

REGIO-ELECTORALIS, QVOD HANOVERAE EST,
SYNEDRII CONSILIARIO, ANNIS LONGOQVE RERVM VSV
PRAE CETERIS CONSPICVO

DVCATVS CELLENSIS SVPERINTENDENTI GENERALI
PAEDAGOGII ILFELDENSIS EPHORO
GRAVISSIMO

*FAVTO RI SVO OMNI HONORIS
ATQVE OBSERVANTIAE CVLTV*

PROSEQVENDO

QVALEM CVNQVE HANC ORATIONEM
BENEFICIORVM IN SE COLLATORVM FRVCTVM
VENERABVNDVS

OFFERT

AVCTOR.



On sine summa animi contentione saeculo, quod exegimus, decimo septimo disputatum est inter eruditos, quae plurimum aetas ad ornandas scientias et sapientiam amplificandam attulerit: nostrane id factum sit, aut patrum nostrorum, an remotissimae antiquitatis memoria. Atque inter Gallos (a) in primis haec pugna depugnata est, tan-

A 3 dem-

- (a) Primus hanc litem mouit PERRALTVS, emisso in lucem poemate Gallico, cui le Siecle de Louis le grand titulum fecerat. Huic BOILAVIVS (Mr. BOILEAV DESPREAVX), celeberrimus Gallorum poeta, cum aliis se opposuit, a partibus PERRALTI in primis stante FONTENELLIO. Litem sub finem saeculi compositam refuscitavit MOTTIVS, edita versione Gallica HOMERI, eique praemissa diatriba critica, in qua multa in iliade desiderat. Atque hoc quidem opusculum in Germanicam linguam transtulit IO. TOB. WAGNER, Magdeburgi 1718. typis exscriptum, quem vide in praefatione, historiam litris succincte explanantem. conf. STOLLII historie der gelahrt-heit P.I. c. I. §. 22. ff. N. 3. v. O. S. de an. 1715. sub fin.

demque sopita, nostro hoc acuo recruduit, aliis mortui ingenio ad recentiorum castra pertractis, aliis, quos elegans Daceriae in monumentis antiquis eruditio quasi fascinauerat, pro antiquitatis causa cum illa propugnantibus. Vtrique parti neque arma defuerunt, quibus se defenderet, neque loca, quibus a strenuo fortis aduersarii metueret impetu. Antiquitatem scientiarum paene omnium incunabula commendabant, quarum nonnullas ita excoluit, ut nihil fere reliquisset recentioribus videretur. Qui, ne nihil egisse turpe sibi esset, ad naenias prolapsi sunt, & inanes rerum species, sprete, quae tanquam vulgaria ipsis sordebant, vera licet, atque solidis subnixa fundamentis. Copiose in primis loquens sapientia, eique cogitata facultas verba numeris adstricta fundendi iniquas nouatorum manus expertae sunt. Et eloquentia quidem Graecorum atque Romanorum ingenio, atque industria, Aristotelis praesertim, atque Ciceronis diuinis operibus ad illud adscenderat fastigium, quod attingere paucis, superare nemini fere contigit. Id vero superiori praecipue saeculo eo quosdam vecordiae adegit, ut masculo & rebus ipsis accommodo dicendi genere relicto, muliebrem ornatum sectarentur, & nescio quos emblematum, & argutiarum flosculos anxii con-

conquirent. (b) Poesin vero HOMERI, aliorum-
que Graecorum opibus copiosissimam, ornatif-
simam, atque grauiissimam Virgilii, ceterorum-
que Romanorum studiis, (c) inani verborum
lenocinio, et peregrinis quibusdam coloribus
ita deformarunt Itali quidam, MARINIO autore
(d), vt meretriculae, aut comicae saltatrici simi-
lior, quam honestae matronae videretur. Quae
vero fuce suo ita illexit ingenia superficialia
inter plerasque gentes, vt in demonstrandis, et re-
mouendis eiusdem naeuis adhuc desudent, qui-
bus de meliori luto praecordia ficta sunt. Vt vero
in his, et aliis forsan disciplinis antiquis earum
magistris laudem suam non inuiti relinquimus,
virtutes illorum imitari magis, quam superare
contententes; sic nec ea dissimulanda sunt, in
quibus recentior aetas palmam ipsis praeripuit.

In

- (b) CHRISTIANI WEISH, eiusque affectuum labores penitus in-
spiciens exempla non diu requiret. Conf. quae passim hac
de re monita leguntur in den *Schiffen der deutschen Ge-
sellschaft zu Leipzig*: vide etiam I. E. KAPPII orationem,
quam eloquentiae professoris spartam in academia Lipsi-
ensi auspiciaturus habuit.
- (c) Conf. in primis HORATHI artem poeticam eiusque versioem
Germanicam, quam cum notis eximiis poesi suae criticae
praemisit IO. CHRISTOPH GOTTSCHEDT, poeseos apud Lipsi-
enses prof. extraord. & societatis Germ. senior.
- (d) Id quod scitissime ostendit amplissimus Koenigius in dis-
sert. von dem guten Geschmack in der Dicht- und Rede-Kunst/
nitidissima, quam curauit, editioni carminum perillustri
CANITII subnexam.

In iis vero si philosophicas scientias primas omnium posuero, temere id a me factum esse non putauerim. Morum doctrinam, vitae magistram, et verae nuntiam felicitatis, nostro hoc aevo cultiorem adparere, quam Socratis aevo in vtraque illa gente visa est, quae reliquas multis post se parasangis reliquerunt, nemo forsitan aequus rerum arbiter ibit inficias. Sanctissimi seruatoris praeceptis summum ipsi decus additum esse, inter eos, qui sacris diuini doctoris initiati sunt, dubio carere debet. Sed hoc ipso auctae quoque naturae vires, et emendatae sane non parum sunt. Voluntas praemiis vt certis, sic menti ad aeternitatem conditae, sufficientibus erecta doctrinas sanctissimas admittit facilius, et perficit. Intellectus vero, voluntate sanata, in rerum ad felicitatem consequendam necessariarum cognitionem feliciter nunc penetrat. Vt enim oculus res microscopiorum adminiculo cognitas, illis quoque positis, accuratius intelligit; sic animi quoque lumina diuino fulgore collustrata, dispulsis, quae aciem eorum praestringebant, nebulis, penitus perspiciunt, quid verum atque decens, quid falsum item, atque fugiendum. (e) Hac vero doctrina meliori cum successu culta fieri non potest, quin
et

(e) Vñs est simili hoc clarissimus HEVMANNVS, Goettingensi-
um decus, in actis philosophorum.

et in alias ipsi ad fines infinitum exinde emolumentum redundet. Ut enim nunc taceam, omnes illas disciplinas, quae ad sapientiae studium pertinent, communi quodam vinculo, et quasi cognatione quadam inter se contineri; ita sane mens nostra a natura comparata est, ut expletis desideriis, et libidinum aestu sopito, felicius multo se expediat, et in veritatum abditissimarum cognitionem penetret facilius, quam cum continuis pugnantium inter se cupiditatum fluctibus agitur. Non parum vero huc quoque attulit aurea illa, quae vera esse intelleximus, sentiendi atque docendi libertas, inter eos certe, qui repurgatis sacris additi, ad solidiorem veri atque boni cognitionem adspirant, nemini hoc tempore negata. Ea enim effectum est, ut praestantissima ingenia, ignorantiae atque superstitionis tyrannide alias repressa, in rerum utilissimarum scrutatione non infelici sane successu occuparentur, multaque in lucem protraherent, quae sepulta alioquin aeternis tenebris, et diuturno praecudiciorum situ corrupta iacuisent. Sed quae humani generis imbecillitas esse solet, ut in optimarum rerum usu ab abusu raro se contineat, ea sic quoque hic se exseruit, ut fructus prudentissimi instituti non parum impediret. Liberta-

B re

te enim sentiendi concessa, non pauci exstiterunt, qui antiqua omnia susque deque habentes, no-uarum rerum studio stupidi, et sibi solis sapientes, nihil intentatum reliquerunt, euidentissimis licet rationibus dudum demonstratum, longoque rerum vsu, et documentis certissimis comprobatum. Exempla hinc inde reperire licet, in iis in primis libellis, qui celeberrimorum doctorum sententias breuiter atque succincte exhibent, vtali alias et laude dignissimo instituto (f).

In his non ignobile nomen meriti sunt, quos Halensium obseruationum titulo insignes viri quidam de republica litteraria meritissimi collegerunt, sub initium, quod viuimus, saeculi typis exscripti libelli, variam doctrinae non vulgaris penum, et iudicii limatissimi specimina orbi litterario exhibentes. Sed neque ab hac labe cauere sibi satis potuerunt, prae ceteris potius ea infecti. Fidem dictis facient, quae sub initium statim operis de scholarum nostri temporis naeuis ita disleruntur, vt omne scholarum institutum euersum eant (g). Animi quidem potius causa, quam destinato consilio ea proposita esse, fere mihi persuadeo; sed posunt

(f) Conf. Cl. HEVMANNI conspectum rei litterariae cap. VI. §. 4. sqq. it. c. VII. §. 34. STOLLII hist. litter. c. I. §. 64.
 (g) Tom. I. Obs. 2. & sqq.

sunt tamen sub hac specie imponere incautis, seriumque eruditionis solidae, et humanitatis in primis studium, iam per se satis languescens, imminuere non parum, aut prorsus frangere.

Cuius causam cum commendatissimam vobis esse sciam, A.O.O.H, qui vel patroni atque statores estis earum litterarum, quae ad humanitatem pertinent, vel iis operam vestram, atque studium omne consecratis; non ingratum vobis me facturum esse duxi, si inuidiam hanc a scholis depellere studerem. Quod ut eo procedat feliciter, quaeso a vobis, ut mihi detis hanc veniam, argumento ipsi adcommo- datam, et fere necessariam, vobis, quod confi- do, non molestat, ut me litterarum causam orantem patiamini eo uti dicendi genere, quo philosophi in tradendis praeceptis suis uti so- lent, plano scilicet, atque perspicuo, et tam a sublimi laudatorum cothurno, quam simplici historicorum breuitate nonnihil recedente.

Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, efficiam, ut spero, ut scholarum in- stitutum non modo non contrarium sapientiae, sed ad eam consequendam utile quoque ac ne- cessarium esse existimetis.

Ne vero vagari, et errare cogatur oratio, si, quod probandum mihi sumsi, idem non es-

se intelligant, qui dissentiunt, quod negatum iuerunt ipsi, breuiter causam iuuat exponere, quae inter nos agitur. De necessitate igitur scholarum quaestio est, quam tractamus. Hanc nec capiemus recte, nec, vt par est, decidemus, nisi distincte prius indicetur, tum quid necessarium esse dicamus, tum quales intelligamus scholas, quas necessarias esse contendimus. Ac solent, cum de necessariis sermo est, homines felicitatis, quam votis sibi quisque expetit, et viae, qua ad illam peruenitur, rationem habere: vt necessarium illud appellent, quo sine ad beatitatem cuique suam aditus non datur. Vnde necessarium in genere illud erit, quod conditionem hominum ita perficit, et libero perfectionis vsu beat, vt ab alio quodam melius id fieri, aut facilius non possit. Hominis vero eum supponere statum necesse est, quem attritae humani generis autorum culpa vires, et ingravescens indies propriis delictis mali connati moles sinunt. Primam enim integritatem ne nobis hic fingamus, communis omnium vetat imbecillitas. Huic igitur morbo quae mederi possunt, et ita quidem mederi, vt promptius illis, atque constantius remedium nullibi gentium occurrat, necessaria iure quodam suo vocamus. Sed vt per scholam quoque quid intelligamus, pateat, eam, dum

dum scholam dicimus, designamus societatem, qua viri sufficientibus animi atque ingenii dotibus instructi veritates, scitu factuque necessarias, rudiorum mentibus ea instillant methodo, quam prudens ingeniorum consideratio, & rerum humanarum, qui nunc est, status optimam esse suaserunt. Hanc veram et vnicam esse scholarum definitionem, postea demonstrabimus, cum, necessitate scholarum ostensa, aduersariorum obiectiones luci exponemus, quam vanae illae sint, argumentis idoneis ostensuri. Iam vt de causae in primis, quam defendimus, iustitia constet, ne calumniari magis, quam patroni legitimi munere fungi videamur, rationes adferendae sunt, quibus adducti, scholis carere non posse respublicas adfirmamus. Quae vel status a nobis descripti ratio, vel scholae ipsius definitio suppeditabit. Et statum quidem hominum, qui nunc est, considerantibus, illos nasci apparebit omnium eorum rudes, quibus ad veram felicitatem mens hominis, ad aeternitatem condita, deducitur. Figamus modo in nosmet ipsos mentis aciem, & quantum illa poterit respicere spatium praeteriti temporis, & pueritiae memoriam recordari, qua via ad cognitionem rerum vtilium perducti simus, inde vsque repetamus. Aut si id molestum ni-

mis videbitur, optimi seruatoris exemplo, puerulum quemcunque primum obuium contem-
 plemur attentius, vt vel illo doctore percipia-
 mus, quae vel tuendae sententiae nostrae, vel
 aduersariorum argumentis confutandis suffici-
 ent. Ecquis est cognitionis gradus, quem in il-
 lo deprehendimus? Exiguus sane, vel, si, quod
 res est, fateri libet, nullus. Felici certe nemi-
 ni licebit esse, nisi felicitatis ipsius rationem ha-
 beat cognitam. Sed eequid eius in puero nul-
 lis adhuc doctoribus vso deprehendimus? In-
 dex est animi sermo, quae ipsum imbuerint
 rerum veritatumque notitiae optime solus de-
 monstrans. Quaestionibus igitur experiri li-
 cet, quid pectus intus alat. Sed quo demum
 illas formaueris modo, nihil inde elicies, vel
 si quem sonum dederit, aut sine mente prola-
 tus erit, aut eius certe nihil exprimet, quod de
 notione, vel clara saltem felicitatis vllum pro-
 dat indicium. De via vero, qua ad hoc tanac
 mentis sacrarium peruenitur, altius adhuc sci-
 scitanti adparebit silentium. Quae omnia satis
 euincunt, ad instar tabulae rasae, siue scriptura
 nuda, non inepte sibi antiquos finxisse hominis
 ingenium, quae capiendis quidem multis rebus
 suffectura, nisi scribentis industria detuerit; hac
 vero deficiente, nihil repraesentatura sit vn-
 quam

quam. Vnde, quid sine institutione valeant hominum mentes, facili colligitur negotio. Cuius multo maior adparebit necessitas, si, quis mentis nostrae in res vtilissimas adfectus sit, cogitamus. Quod si, animo a molesta rerum, quae nos circumstant, contemplatione abducto, in nosmetipsos reuertimur, et quorsum cupiditates nostrae ferantur a natura, quae sibi profutura ducant, aut iucunda, dispicimus; eorum quidem desiderio illas teneri videbimus, quae salutis nostrae contraria sunt; ab eorum studiis auersas, quibus solis tranquillae mentis solatia parantur. Iam vero quum sine ardore discendi, et serio veritatis studio vix recte quicquam percipiatur, illud ante omnia in teneris iuniorum mentibus accendendum esse videmus. Qui vero id sine prudenti, et circumspecta institutione fieri queat, equidem non intelligo. Sed nec illud est, de quo probando laboramus. Demonstrandum potius nobis erit, mentes hominum ad veri cognitionem, rectique studium alia hodie ratione informari non posse, quam publice constitutis, qui has operas reipublicae collocent. Ex iis, quae allata modo a nobis sunt, liquere cuilibet existimo, ad institutionem tenerarum mentium requiri viros non vulgaribus ingenii dotibus, nec minori virtutum laude conspicuos. Ac primum

mum quidem illis doctrinis, ad quas formare
 iuniorum mentes volunt, non leuiter illos tin-
 ctos esse, sed plane imbutos oportet. Nec enim
 hic sufficit rerum, ad quamuis disciplinam perti-
 nentium, generalis quaedam notitia, sed quid in
 quauis disciplina praecipuum sit, quo tanquam
 fundamento reliqua nitantur, quae in tradendis
 disciplinis sint praemittenda, et quo tandem sin-
 gula ordine ex suis principiis sint deducenda, quo
 probanda et confirmanda sint modo, calleant
 necesse est. Ad haec methodi quoque ratio ha-
 beri debet, ne inepte & praepostere singula tra-
 dendo, aut obruant ingenia, aut a rebus alio-
 quin vtilibus, nec per se iniucundis alieniora red-
 dant. Tum ingeniorum haud perfunctoria co-
 gnitione instructos esse oportet, vt pro cuiusuis
 modulo tam res tradendas seligant, quam do-
 ctrinae genere vtantur cuius conuenienti. Ne-
 que remedia ipsis incognita esse debent, quibus
 torpentes excitare, nimio sanguinis aestu labo-
 rantes cohibere, corruptos a voluptatum deuiis
 in regiam virtutis viam reuocare, et, vt paucis me
 expediam, veri rectique studium in animis di-
 fcentium producere, sustinere, atque augere
 queant. Quae nisi qui naturas hominum vim-
 que omnem humanitatis, causasque eas, qui-
 bus hominum animi, at quam varie adfecti!

inci-

incitantur, aut reflectuntur, intime perspexerit, docendo, ac praecipiendo efficere non poterit. Huc accedere debet animi quaedam atque ingenii celeritas, quae ad excogitandum promptos, ad explicandum, ornandumque perspicuos, atque vberes, ad commendanda praecepta gratos reddat, atque iucundos. Quid de illis dicam, quae cum paucis nascuntur, linguae solutione, grato vocis sono, elocutione graui, conformatione etiam, ac figuratione oris, ac corporis? (h) Quae tamen negligenda non esse suadent viri in tradendis educationis regulis facile princeps. (i) Adest enim fere nemo iuniorum, quin acutius vitia in docente, quam recta videat, idque tantum saepe nocet, vt quicquid sit, in quo offendantur, id illa, quae laudanda sunt, obruat. His rite obeundis qui pares esse possint, non ita multos

-
- (h) Verba CRASSI apud CICERONEM de oratore Lib. I. iure quodam meo ad eos, qui studia moresque tenerae aetatis formant, transferre videor.
- (i) PLUTARCHUS quidem non longe ab initio libri, quem de liberorum institutione composuit, infantibus teneris seruiolos quoque dandos esse vult *πρωτιστα μὲν σπυδαία τῆς τροφῆς, ἐπιμὴν ἑλληνικὰ καὶ περσιτικὰ λαλεῖν*. Quae vero de paedagogis ille paullo post subiungit, lectu quoque non sunt indigna. Conf. FLEURY du choix, & de la methode des estudes p. 102. I. P. CROVSANZ traité sur l'education des enfans T. I. sect. 2. p. 112. sqq. & sect. 3. p. 150. sqq.

tos reperiri, non facile credo, quisquam negaverit, cui saeculi nostri mores non plane sunt incogniti. Ad parentes modo figamus oculos. Quotusquisque quaeso illorum est, qui vel aliquot saltem horum officiorum explere queat? Qui antequam ad discendum ingressi sunt, obruuntur plerumque rerum vel domesticarum, vel publicarum cura atque negotiis. Alios igitur suis praeficiant. Et hoc est, quod volebamus, societatum litterariorum, quas scholas dicimus, necessitatem prono exinde alveo deriuaturi. Fac enim institutione aliorum opus esse, quod iam, ut opinor, satis demonstratum dedimus: at quonam demum id fiet modo? Singuli singulis tradentur erudiendi, nec ad ludos litterarios, opus est, ut confugiamus. Sed unde desumentur tot morum, studiorumque moderatores? Adeone larga est istorum hominum seges nostra aetate, istis dotibus instructorum, quas ad felicem tenerorum institutionem requiri supra docuimus? Temerarius sane esset, et contra solem loqueretur, qui hoc adfirmare auderet. Vanae cetero qui sunt doctissimorum hominum querelae, ea solide doctorum atque sapientum inopia nos vrgeri quiritantium, ut e centenario illorum numero, qui se litteris operam dedisse profitentur, vix unum, atque alterum deligere possis, qui
his

his curis idoneus censeatur (k). Qui vero fieri potest, ut exiguus hicce vere eruditorum manipulus innumeris excubiis agendis sufficiat? Quibus si vel omnes, qui litteratorum nomen gerunt, nomine se suo dignos praestarent, nunquam sane pares esse possent. Aut igitur plurimorum causa hic negligenda, aut scholarum necessitas admittenda erit. Sed nec omnibus tam sollicita educatione opus est, quae magistros adeo rerum peritos, et vitae sanctitate insignes requirat. Cives reipublicae gregarios, militari vocabulo uti liceat, satis est paucis, iisque facilioribus praeceptis ad ea crudiri officia, quae Deo, patriae, et sociis praestanda sunt. Enimvero licet iisdem animis rudiorum rite ingerendis non tam facilis requiratur labor, et arte constans tam mediocri, ut vulgo creditur; ponamus tamen tantisper, recte haec omnia se habere. At viros tamen patria desiderat, quos et rebus gerendis praeficiat, et quibus mentis, atque corporis reliquorum civi-

C 2

um

(k) Legi hic prae ceteris meretur epistola viri summe venerabilis, & de republica litteraria longe meritissimi HERMANNI von der Hardt / Academiae Juliae senioris, et coenobii Mariaebergensis praepositi, qua viro cuidam illustri, adolescentibus nobili genere ortis praepceptorem poscenti respondit, anno a restituta hominibus salute 1712 typis expressa, his verbis tituli loco appositis: *Privati praepceptores vide?*

um curam tuto committat, eosque non paucos. Sed hos vero tam facili manu, et inerti opera fingi, et ad altiora formari posse, nemo forsitan adfirmare ausus fuerit. Rudi, quod tantisper concedimus, ductu finguntur mentes, quae turbae nascuntur: quos ecclesia sacrorum antistites sibi legat, curia iustitiae praefectos, sanitatis tuendae aut recuperandae administratos respublica constituat, maiori sane solertia, et studiis exquisitioribus ad haec munera praeparandi erunt. Non vulgo hauriuntur scientiae, quas ut teneant sacrorum, iustitiae, aut sanitatis tuendae doctores, necesse est: nec omnis heic fert omnia tellus. Vnaquaeque gens, vnaquaeque aetas ingenia tulit, quae scientias ad veram felicitatem ducentes non sine laude coluerunt, iisque ita dederunt operam, ut prae reliquis adiri, et consuli mereantur. Hi quod praeclarum vel ipsi inueniunt, vel ab aliis inuentis addiderunt, litterarum monumentis consignare sunt soliti, et adhuc solent. Ex iis proficiunt, qui solidi quid, et egregii in scientiis audent. Sed qua demum id fiet ratione, nisi linguas calleant, in quibus vel docent adhuc, vel olim docuerunt, scriptis placita sua cum orbe erudito communicantes. Illas igitur callere oportet eum, qui fructum ex eorum laboribus capere volet. Vnde, quam utilis rei publicae sit litteratorum opera, adparet, qui peregrinas linguas familiares

liares sibi reddiderunt. In primis vero his opibus ornatos esse oportet, qui in erudiendis felicioribus ingeniis, et saeculo, non sibi tantum natis operam ponunt. Horum autem tanta sane non datur copia, ut singulari opera singulos formare possint. Quare necessario plures vnus, vel aliquorum curae committendi, et scholae aperiendae erunt, in quibus haec fidei tradantur opera. At vero his facile, aiunt, carebimus, si, qui muneribus in republica cum laude praesunt, filios suos ad eadem studia, quae ipsos muneribus obeundis idoneos praestiterunt, manu ducunt, vel si minus aptum in iis ingenium deprehenderit, alios ad hoc quasi adoptent, feliciori praeditos indole. Verum enim vero ea non est sollicitae educationis, et fidelis institutionis ratio, ut felici suscipi successu ab iis possit, qui aliis negotiis distinentur. Maiorem temporis, atque otii illorum partem negotia aut publica, aut domestica sibi vindicant, unde nec assiduus, qui tamen requiritur, nec ferius, sine quo nihil prorsus educatio proderit, labor erudiendis aliis impendi poterit. Et quid tandem plurimi illorum aut perceperunt, aut percipere possunt eorum, quae in formandis iuniorum animis obseruari debent quam diligentissime? Qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum veniunt, quos in aula, quos in foro, quos

in ecclesia, quos in negotiis publicis, aut priuatis ambitio prius conficit, atque contentio, quam horum aliquid vel suspicari potuerunt. Constituendi igitur sunt, qui ab aliis vitae muneribus vacui, huic vni rei totos se dedant, atque confecerent. Vnde vero tot morum, studiorumque inspectores desumimus, vt singuli singulis pueris custodes dari possint, qui reipublicae educantur? Aut si darentur: Vnde tanti a parentibus, aut magistratibus conferentur sumtus, qui his alendis pares sint? cum victum aliunde quaerere nequeant, omne tempus aliorum institutioni tribuentes. Certe nec eae sunt plurimorum parentum facultates, vt liberis suis vel vnicum, nedum plures praeceptores dare possint, nec tot publicae necessitates patiuntur innumeros publicis sumtibus alere ciuium iuniorum moderatores. Quae omnia iterum iterumque vrgent rerumpublicarum reētores, vt alio tuorum vtilitatibus modo consulant. Quo vero id commodius fieri, aut melius possit, quam scholis institutis, nemo adhuc cum fructu, quod sciam, ostendit.

Sed nec incommode quoque in scholis reēte constitutis traduntur, quae ad vitam bene, beateque agendam pertinent. Sunt illa duplicis generis, vt ex iis, quae modo attulimus, concludere licet: vel enim praecepta continent, quae
 studium

studium virtutis in animis puerorum accendunt, confirmant, et dirigunt; vel propaedeumata quasi quaedam, quae his doctrinis tradendis viam muniunt. Posteriora humanitatis studia, si stricte vocabulum sumas, dicere sueuerunt eruditi: ad priora sapientiae ipsius doctrinam, siue ex naturae illa hauriatur fontibus, siue diuina eam pandant oracula, referunt, eaque facultatum superiorum nomine venire solet. Humanitatis studia ita comparata sunt, vt commode ab vno pluribus tradi posse, nec ipsos negaturos esse putem scholarum aduersarios. In reliquis quoniam meliorem viam inire non licet, vel inuitis haec docendi ratio probanda erit. Quae distributis in certos ordines, pro cuiuscunque captu discipulis, successu non infelici suscipitur, modo, quod supponimus, huic rei deligantur doctores idonei, et salutis eorum, qui curae suae commendati sunt, cupidissimi. Hi enim, quauis occasione data, in animos, atque ingenia suorum inquirent, iisque siue doceant illos aliquid, siue ad virtutem hortentur, prudenter attemperabunt labores suos. Quod commodissime quidem tunc fieri poterit, si in conuictu eorum versantur, quibus litterarum et sapientiae praecepta tradunt, et quotidiana ipsis consuetudine adsuescunt. Quo ipso scholarum, quae ad nostrae huius instituta accedunt,

dunt, prae ceteris se ostendit excellentia. Sed quid tandem est, quo suspectas reddere scholas reipublicae litterariae ciuibus, et tantum non perniciosas vocitare satagunt ephemeridum Halensium autores? Argumenta adferunt numero non pauca, et quae specie sua imprudentibus rerum aestimatoribus imponere haud difficulter possent. Ex triplici vero fonte hausta sunt omnia: vel enim a scholarum natura desumunt, quae vitio ipsis vertunt, vel disciplinas laceffunt, quae in iis traduntur, vel methodum traducunt, qua in tradendis scientiis vti sueuerunt scholarum doctores.

Ipsam scholarum definitionem dum velliant, societatibus illas arbitrariis accensendas esse dicunt, ideoque necessarias vocari non posse. Sed vel aliud agenti haec excidisse putem, vel verbis ludi, quae prima quidem fronte contraria sibi videntur, re autem adcuratius perpensa, conciliari facile possunt. Non eadem ratione omnibus, quae necessaria dicuntur, hoc nominis competere, in confesso est omnibus. Quaedam ita sunt necessaria, vt, quo tandem statu hominem tibi ob oculos ponas, abesse tamen nequeant, sine salutis ipsius, et incolumitatis dispendio. Alia vero, si certo hominem statu tibi fingas, tuto quidem exulare posse videntur, non ita facile, si aliam quan-

quandam eius conditionem mente concipias. Ad primam quidem classem scholas referri nec ipsi volumus, nec id fieri commode posse, facile largimur aduersariis. Quodsi vero hominum, quae nunc est, ratio consideretur, his eos rebus circumstantibus, quas deprehendere cuius obuium est, non tam facile negligi posse, aut minus necessariis adnumerari scholarum institutum, satis, quod crediderim, supra demonstratum dedimus. Diximus, iocosa nobis haec magis videri, quam seria, quae confutauimus. Id ne plane adfirmemus, exempla faciunt, illustrationis causa ratiociniis subnexa. SOCRATEM in suas partes pertrahere nituntur, ipsumque communis omnium salutis nostrae restauratorem CHRISTVM. SOCRATEM, quo melius inter eos, qui a coelesti doctrina alieniores fuerunt, nemo docuit, nunquam stans temporibus, et adstricta certis legibus methodo virtutum praecepta tradidisse, sed familiari ciuium consuetudine vtenti, si qua commoda se occasio obtulisset, monuisse, quae corrigendis suorum moribus idonea iudicaret. Nec aliter cum Iudaeis egisse seruatorem. Ecquis vero tam hebes est, qui eorum, cum quibus seruatori, & SOCRATI quoque res erat, plane aliam fuisse conditionem non intelligat, quam illorum, quibus scholas respublica instituit. Homines iustae aetatis & maturi iudicii qui certis interuallis subse-

D

lia



lia premere, et disciplinae leges subire iuberet, is sane naturae humanae, et reipublicae ipsius rationibus conuenienter non ageret. Sed cum his libertatis nostrae vindici, cum his communi Graecorum magistro versandum erat. Horum igitur instituta in formandis ad virtutem teneriorum mentibus inepte prorsus sequeremur.

Sed nec ipsi argumentis hinc deductis satis confidunt, in aliis percensendis, atque ornandis operosiores, quae disciplinae ipsis suggerere videntur in scholis tradi solitae. Illas dicunt esse varias, sapientiam vero sapientissimorum omnium consensu vnicam. Qui igitur fieri possit, vt tam variis disciplinis illa contineatur, aut hae viam ad illam muniant? Verbis iterum hic pugnari, casum mente sonum prae se ferentibus, adfirmare nolim, nisi res ipsa id satis loqueretur. Vnica certe est sapientia, sed varii sunt hominis status, variae vitae necessitates, quibus succurrere illa, easque ita moderari debet, ne felicitati obsint: quae vt homini, quocunque demum loco sit, quaecunque eum res circumstant, illicitas et legibus interdictas semper excipio, illibata praestetur, et continetur, ad id vero elaborandum est verae sapientiae cultoribus. Nonne vero hic varias, vt ita loquar, sapientia formas induere debet? Nonne variis ipsi adminiculis, et instrumentis opus est, quibus miseras ab hominum vita depellat, eamque

que ex beatissimi aeque ac benignissimi numinis consilio, quam fieri potest, perfectissimam reddat. Has formas, haec adminicula disciplinae commonstrant in scholis personantes. Sed aegedum! aduersariis ducibus disciplinas illas peruagemur, quid tantopere illis in iisdem displiceat, attentius inspecturi. Grammaticam voces tantum curare clamant, in vocibus puritatem respici, atque elegantiam, quibus cum veritate, et sapientia nullum sit commercium: rhetores fucum vendere, et circumductis verborum, atque figurarum strophis veritatem inuoluere magis, quam nudam et genuinam sistere studiosorum oculis: dialecticam verum quidem sibi, sed tanquam scopum externum praefixum esse dicere, de eo interea magis sollicitam, vt in vtramque partem de rebus disputare discant adolescentes, quid verum sit, atque falsum, ipsi vt plurimum cum ignarissimis scientes: in pneumatica abstrusiora tradi dogmata, nec criterium adesse, ad quod exigi veritas possit: in practicis vero disciplinis vanam virtutum pompam pro ipsis virtutibus ostentari: altiores disciplinas, diuinarum rerum scientiam, iuris, legumque peritiam, atque curandorum corporum facultatem his superstrui fundamentis: quae cum ipsa soliditate careant, nec his solidi quid inaedificare posse. Sed quam astute hic versentur, vt laqueos tendant imperitis, vix quisquam tam he-



bes, aut obtusus inuenietur, quin clare perspiciat. Grammaticae voces curae sunt, fatemur: sed quis nescit, his adminiculis carere non posse, qui vel aliorum placita intelligere volunt, vel sua cum iisdem communicare? sine quibus tamen sapientia nec acquiri potest, nec propagari. In reliquis disciplinis vitia magis quorundam docentium, quam rerum, quas ipsae tradunt, adcuratae recensiones oculis nostris sistuntur. Ecquis vero abusu quorundam malefanorum capitum res ipsas per se vitales, atque necessarias corrumpi plane, atque utilitate omni destitui existimauit vnquam? Tollatur abusus; et vsu suo se ipsas commendabunt scientiae.

Nec melius se habent, quae de methodo scholarum proferuntur in medium. Vitia nimirum quarundam scholarum imputantur omnibus, solemni eorum, qui suspecta reddere cuncta laborant, vt sua commendent, artificio. Quo philosophos exactum vbique iudicium crepantes, nedum doctrinam sanctissimi seruatoris professos vt sane non licet. Nec ea, quae tanquam vitia elato satis supercilio traduntur, talia sunt, si propius rem inspicias. Plures ab vnus ore pendere, et ex eius praeceptis veritates haurire, atque sapientiam, non tam absonum est, atque rationi contrarium, vt ipsi illud videri volunt: id quod iam antea a me ostensum satis esse, memini. Nec vnquam, credo, demonstrabitur, vitae discipulorum a
 praec-

praeceptoribus nullam haberi rationem, austeritate sua id efficientibus, vt a consuetudine illorum abhorreant: qua morum praecepta tamen feliciter saepe, quam prolixis commendantur sermonibus. Sane pios scholarum magistros nullam praetermittere occasionem, qua iucundam virtutem, vitia exosa reddant discipulis, experientia teste ostendi facile posset, si temporis id ratio, atque oratiunculae fines permitterent. Nostra certe instituta (1) perlegendibus nullum hac de re supererit dubium. Quae vero de statutis cuius disciplinae temporibus, habitu corporis docentibus, atque discantibus familiari, et similibus adferuntur, vel ea sunt, vt ordinis conseruandi causa necessario requirantur, nec sapientiae studio ita contraria, vt obseruationum autor sibi id fingit, ex turbulento fortassis ingenio suo omnia aestimans, vel ita quoque sunt comparata, vt ab arbitrio prudentum doctorum pendeant, pro ingeniorum, cum quibus versandum ipsis est, ratione licite illa mutantium.

Quam

(1) Quae in constitutione rei scholasticae Iffeldensis luci publicae exposuit V. Cl. deque lyceo nostro longe meritissimus GE. NIC. KRIEGER *ò* *managers*, Northusae an. clo 15 cc xvi typis exscripta. Recensetur liber, maximisque laudibus ornatur in Bibliotheca noua T. VI. p. 548., in historia bibliothecae Fabricianae P. V. p. 485. nec non in actis eruditorum Lipsiensibus 1717 p. 224. vbi hoc de eo iudicium legitur: Liber est optimarum rerum plenissimus, qui plura continet, quam prima istius facies promittit. Autor vero bibliothecae nouae testatur, KRIEGERIVM per singulas partes demonstrasse fructum huius constitutionis, deque variis ad rem scholasticam facientibus rebus suas aperuisse cogitationes.

Quam facili igitur negotio diffilari possint, quae inuicta pollicebantur aduersarii, argumeta, videtis, A. O. O. H.

Manet igitur scholis sua laus: nec deerit utilitas, quamdiu maecenatibus curae erunt, nec pii, atque eruditi doctores quidquam, quod officii sui est, desiderari a se patientur.

Quapropter et mihi gratulor, qui moderante prouidi numinis cura in eum statum deuenerim, qui Deo gratus, reipublicae utilis, generi humano salutaris, iunioribus necessarius, et visus est prudentibus semper, et videbitur, quamdiu virtuti suae constabit honos, et veritatis atque scientiarum ratio habebitur.

Eandem prouidi numinis curam supplex ueneror, ut, quem rebus nostris adhuc praestitit, successum exoptatissimum, eundem et in posterum largiatur, atque conseruet. Seruet augustissimum, atque potentissimum Britanniae regem GEORGIUM secundum, patrem patriae, eumque ut patriarum virtutum aemulum, sic felicitatis heredem esse sinat. Annuat consiliis principis sapientissimi, pacemque, quam illibatam illa adhuc nobis praestiterunt, orbi christiano, Germaniae, nostrisque in primis terris perpetuam concedat. Sic laetae florebut artes: sic sapientia tuto culta gratae felicitatis opes cunctis distribuet.

Vigat

Vigeat diuino praesidio salua illustrissima Comitum Stolbergenſium domus, prosperisque rerum gauſa ſucceſſibus, muſis, vt ſolet, dulce praebeat vſque patrocini-um.

Senatus Hanouerani ſanctioris quicumque ſunt ſenato- res, viros prudentia inſigni, et longo rerum vſu prae ceteris eminentes, praecipue ipſi commendatos eſſe volumus, vt de re chriſtiana, de ſalute patriae, de litterarum incolumi- tate, optime, quod faciunt, mereantur. Pergant vt reipu- blicae, ſic litterariae quoque, atque eccleſiaſticae in noſtris terris conſulendo, prouidendo, et vtilia quaeque ſubmini- ſtrando prodeſſe, vt ſcholae quoque, et in primis noſtra haec, eorum auſpiciis ſaluae, litterarumque ſacris imbua- tae perennent.

Viro perilluſtri, atque generoſiſſimo IVSTO CHRISTO- PHORO DE REICHE, potentiffimi Britanniarum regis a conſiliis iuſtitiae intimis, coenobii huius praefuli ſum- me venerando, quae in me immerentem, et nihil tale cogitantem contulit beneficia larga rependat manu, eique vegetam praefet ſenectutem, vt, quo adhuc emicuit, viui- do, viridique animo ſummi regis curet negotia, conſilio- rum eius ſanctiſſimorum interpres grauiffimus. Hoc ſal- uo, atque incolumi, ſchola noſtra, eius auſpiciis inſtaura- ra, laetiora indies, eo patrono, ac moderatore rerum no- ſtrarum, incrementa capiet.

Eandem viri ſumme reuerendi, atque ampliffimi PHILIPPI LVDOVICI BOEHMERI, ſynedrii Hanouerani conſiliarii annis, atque experientia primi, ducatus Cellenſis ſuperintenden- tis generalis longe meritiffimi rationem habeat. Cui ma- ſculum illum vigorem, animumque ad grauiffima quaeuis negotia alacriter obeunda intrepidum, ad tractanda fortem, ad perficienda conſtantem multos adhuc annos praefto eſſe ſinat, vt de republica chriſtiana bene, quod ſolet, merendo purioribus ſacris fulcro ſit, litteris ornamento, ſcholis, in qui- bus illae tradi ſolent, in primisque noſtrae huic patrocinio.

Viri amplissimi, atque consultissimi IO. FRIDERICI AVGVSTI CRAVSHAAR coenobio huic ab augustissimo Britanniae rege praefecti quicumque sunt conatus, laetobeeet successu, eumque per multos annos coenobii nostri res curare, augere, atque ornare sinat.

Quo successu vt illustrissimae gentis Stolbergicae administri grauiissimi, solemnique inprimis actui huic praefecti in omnibus, quibus praesunt, negotiis vsque gaudent, est, quod ex animo illis apprecor.

Vos vero, viri clarissimi, collegae suauissimi qui me ordini vestro adscriptum non inuiti recepistis, pergite, quae coepistis, beneuolentia me complecti, & quae volueritis, grati animi signa reposcite. Habebitis me rebus vestris addictissimum, idque omni acturum studio, ne officia vnquam in me desiderentur, quae muneris ratio exigit, vitae, laborumque suadet coniunctio, humanitatis studia flagitant.

Vos denique, adolescentes optimi, spes patriae, deliciae parentum, quorum vsibus studia mea, quantulacunque sunt, sacra erunt in posterum, fauete modo animis, et, quo soletis, obsequio mutuas operas leuate. Procumbite mecum in venerationem eorum, quorum indulgentia musae nostrae florent, et grata munificentia recreantur.

Ostendite dicatam virtutibus mentem, et imbutum litteris pectus laeti expromite. Agite! probemus grauissimo coenobii nostri antistiti, reliquisque eius fautoribus studia nostra, nec spei ipsorum vnquam nos defuturos esse, demonstremus. Sic hilaro grandesceris adauctu, sic gradus aetatis adultae paullatim adscenderis, ad sacrarum cognitionum stipendia demum euocandi, aut in tribunalibus reddituri ius populo, consilioque principibus adfessuri, aut pellendis morbis daturi salutem mortalibus, aut in ipsis demum bonarum mentium officinis artes, ac disciplinas olim reparaturi.

Titel 30



5b.

Vol 18 = 12, recd = 3
Vol 18 = 3

11.5.2000 DJ







SCHOLARVM NECESSITAS

AB
OBIECTIONIBVS OBSERVATORVM
HALENSIVM VINDICATA
ORATIONE SOLEMNI,

QVAM
MVNVS QVARTI IN ILLVSTRI, QVOD ILFELDAE EST,
PAEDAGOGIO REGIO PRAECEPTORIS, SVB-
CONRECTOREM VOCANT,
SVPERIORVM NVTV ATQVE AVSPICIIS
SVSCEPTVRVS

HABVIT
IOH. IOACHIMVS SCHMIDT
BODENWERDERA HANOVERANVS.

HELMSTADII,
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.